

īisdem modis, quibus dominium rei alienæ acquiritur.

Cuius rei *vſus* non est sine *abusū*, illius §. 2.
non *verus*, sed *quasi vſusfructus* datur, ac-
cedente *cautione*.

Cautio enim ex re consumptibili facit
non consumptibilem.

Particula *quasi* in iure nostro inuoluit
identitatem iuris, sed denotat *diuersitatem*
seu *improprietatem obiecti*.

Vſusfructus, quia personæ cohæret, mor- §. 3.
te extinguitur.

Quæ ex sua natura non sunt transitoria
ad heredes, illa, si heredium facta mentio,
cum primo herede exspirant L. *Antiquitas*
14. C. *de Vſufr.*

Tollitur porro *vſusfructus*, *non vtendo*,
vel *male vtendo*, *cedendo*, seu *abdicando*, *rei*
interitu, & *consolidatione*, si *proprietas* &
vſusfructus in eadem persona conueniant.

Omnia iura realia non *vtendo* 10. annis
præscribuntur. L. 1. ff. *de Nund.*

T I T. V.

De

VSV ET HABITATIONE.

VSVS est ius alienis iebus *vtendi ad ne-* Pr.
cessaria vitæ subsidia, salua earum substantia.

Quibus modis *vſusfructus* constituitur &
finitur, īisdem modis etiam *Vſus*.

D 4

Vſus